



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Centvriæ Selectorvm Casvvm Conscientiæ. I. II. III.tia

Burghaber, Adam

Fribvrgi Brisgoiæ, 1665

15. Cvno catholicus rectè in locis hæreticis comedit carnes, adit templa, abscondit rosarium, &c. ne agnoscat & periclitetur.

urn:nbn:de:hbz:466:1-40942

quem devenire non potest denunciatio; esto enim hæc afficiat personam, intelligendum id tamen respectu illorum, quibus innotescit. At Coloniae denunciatio Cuniberti non est notoria. Ergo nullam obligationem inducit, cum vitandi tam publicè quàm privatim, quidquid contra hoc posterius sentiat. Auila *loc. cit.* quia post Constantiense obligatio vitandi non oritur ex solâ excommunicatione, sed ex illius notoria denuntiatione, ut rectè advertit Palao *Tr. 29. D. 2. pu. 4: n. 9.* Atque ex his patet ad rationem in contrarium.

XV. *Cuno per loca hæretica transiens, cùm sciat Catholicis varia in ijs accidere pericula, ut hæc evitet, comedit carnes diebus prohibitis, adit ipsorum templa, abscondit rosarium aliâque Catholicorum indicia, ut alijs eiusdem secum sectæ planè appareat. Queritur. An rectè id fecerit?*

Videtur malè fecisse, quia comestio, & actiones istæ sunt signa falsæ fidei, ex quibus aliquis conijci solet alienus à Romanâ fide.

Resp. Cunoem, per se loquendo, & secluso scandalo, & Religionis contemptu, licitè egisse. Ita Azor, Sanchez, Coninck. Becan. Laym. *L. 2. Tr. 1. cap. 11. num. 5.* & alij. Ratio est, quia licèt per huiusmodi signa aliquo modo Hæretici à Catholicis dignoscantur; attamen non sunt signa instituta ad falsæ fidei professionem, & protestationem hæresis: neque in tali necessitate obligat Ecclesiæ

clesiæ præceptum de non comedenda carne. Unde Tanner Tom. 3. D. 1. Q. 7. d. 5. n. 110. Bannez 22. q. 3. art. 2. dub. 2. & alij inferunt, posse aliquem vti pileo Turcico cum tobalia alba, vt securus per Turciam transeat, & c. Ergò Cuno signis illis vtens præsumi nõ potest negare fidem, aut falsam protestari, sed solùm occultare se voluisse, cùm non teneretur se manifestare, licitèque aliorum deceptionem ad sui liberationem permittere posset. Atque ex hoc patet ad fundamentum in contrarium.

XVI. *Elias die, quo in proprio ipsius loco peculiare est ieiunium, hospitatur in loco alieno, vbi similiter particulare est ieiunium. Queritur. An teneatur ad ieiunandum?*

Videtur teneri, ne absurdè sit omnino exlex. Ita plerique AA. quos citat & sequitur Diana P. 1. Tr. 9. Resol. 18. & Tr. 10. Resol. 13. in fine; non tamen convenit inter eosdem, cuius loci lege diocesana teneatur.

Resp. Eliam probabiliter neutrius loci lege obligari ad ieiunandum. Ita Io. Sancijs in select. D. 44. n. 31. Ratio est, quia non obligatur ratione legis domesticæ, vt cum pluribus docet Arriag. D. 15. n. 41. eò quod tale præceptum specialiter intra locum se contineat, pro quo fertur: nec ratione legis in alieno loco existentis, vt cum multis docet Laym. L. 1. Tr. 4. c. 12. n. 4. eò quod tale præceptum

non